



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 28. Nona decima, & undecima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XV.
A. C. 1409.

quemlibet ac debuisse illis denegare obedientiam. Opponebant se duo Episcopi, Anglus alter, alter Germanus: sed Concilium ferebat sententiam ad mentem Promotoris; & addebat, neminem non debere in posterum iussa illorum abnuere.

§. XXVIII.

Sessiones nona, decima, & undecima.

Post dies octo, nimirum 17. Maji fuit sessio nona. Alexandrinus Patriarcha legebat publice sessionis ultimæ decretum de recusanda obedientia; & adjungebat, Cardinales, cæterosque Præfules hanc ad causam adhibitos ut testes fore tamen Judices; & cognitores proposita factorum puncta explicare, & addere nova, prout censuerint. Sessio proxima indicta fuit in diem Mercurii 22. Maji.

p. 2122.
2197.

Hoc die in sessione decima Promotor per Concilii Advocatum dicebat Cardinales Laudensem, seniore[m] de S. Angelo, ac reliquos Cognitores auditorum testium verba per Concilii notarios scribenda curasse, ita, ut essent parati ad ea referenda per unum e suo numero, nempe per Pisanum Archiepiscopum Alemannum Adimarum. Cum ad se referri ea iussisset Concilium, Advocatus poscebat, ut duo æmuli accerferentur ad audiendam denun-

denunciationem testium. Factum id est Sæcul. XV.
A.C. 1409.
ad templi portam ritus gratia.

Postea Pisanus Archiepiscopus in suggestum ascendit cum notario ad informationum promulgationem a Cognitoribus sic præscriptam: Notarius leget alia ex aliis factorum puncta; & unicuique Archiepiscopus adjunget testes ad id firmandum productos, quorum qualitates, ac numerum memorabit. Recitabat igitur notarius in hac sessione viginti puncta; & post quodlibet trahebat moram aliquam: tum Archiepiscopus ajebat: Hoc punctum constat per testes quindecim, e quibus quatuor sunt Cardinales, unus Patriarcha, quinque Episcopi, quatuor Doctores insigniti, & unus designatus: interdum numerabat testes decem, aut viginti, modo plures, modo pauciores: nullum tamen punctum non communitum erat saltem quinque testibus idoneis. Cum discessum suaderet hora, Concilium imperavit, ut hic actus postridie continuaretur.

Igitur 23 Maji erat sessio undecima, in qua referebantur septendecim puncta reliqua, pauculaque alia iis adjuncta. Post hæc Ecclesiæ Advocatus e pulpito petebat, ut facta omnia his punctis comprehensa declararentur vera, publica, & evidentia: qua de re proximo die sabbati 25 Maji pridie Pentecosten deliberatum.

Hist. Eccles. Tom. XXIV. T t tum

Sæcul. XV. tum iri asseruit Concilii nomine Pifanus
 A. C. 1409. Archiepiscopus.

§. XXIX.

*Sessiones duodecima, decima tertia,
 & decima quarta.*

Eo die in sessione duodecima Patriarcha Alexandrinus solemniter edixit Concilii decretum de pervulgata factorum notitia contra Benedictum, & Gregorium prolatorum. Deinde Concilium Cognitoribus jam munere perfunctis datam antea potestatem retexuit; sed contingentem scripta, vel facta, quæ recens forsitan producerentur, prorogavit usque ad pronunciationem sententiæ.

*Osee. I.
 v. II.*

Die Mercurii 29 Maji fuit sessio decima tertia; in qua clarus Theologiæ Doctor Petrus Plaulius orationem habebat illis inceptam Osee verbis: *Congregabuntur filii Juda, & filii Israël pariter, & ponent sibi met caput unum.* Extollebat summe dignitatem Ecclesiæ, quam Papâ superiorem dicebat. Tum significabat ab Universitate Parisina Petrum Lunium censerî schismaticum, contamacem, ac hæreticum, etiamsi hæresis spectetur in sensu proprio; atque ideo excludendum Ecclesia, & gradu dejiciendum. Sic opinari etiam Universitates Juliomagi, Aureliæ, ac Tolosæ. Petro descendenti de pul-